



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

51 Professionem emittere, nec ad clausuram servandam tenentur mulieres, quae fuerunt inhonestae, & in congregatione vivunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

sub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, ſuper qua pariter à nemine, niſi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, abſolutionis beneficium poſſunt obtinere. Monasteria huiusmodi quovis modo ingredi audeant. Abbatibus vero, necnon Abbatibus, Conventibus, & aliis Monasteriorum utriusque ſexus ſuperioribus, & perſonis quocunque nomine vocentur, diſtictè præcepit ſub eadem excommunicationis pœna, necnon privationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum, ſuorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, nè in Monasteria, domos, & loca ſua quemquam prætextu dictarum licentiarum ingredi facerent, vel permitterent, quinimò etiam ſub eisdem pœnis ipſo facto incurrendis prohibuit, atque interdixit omnibus, & quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis, & ſecularibus, ac etiam ordinum quorumcunque, etiam Mendicantium Regularibus, ne illis prætextu licentiarum ab Episcopis, vel ſuperioribus, quibus illas concedendi in caſibus neceſſariis tantùm ex decreto Concilii Tridentini, dicto cap. 5. §. ingredi autem. de regul. ſeſſ. 25. tribuitur, Monasteria ipſa monialium pro libito, ſed neceſſitatibus urgentibus, dumtaxat ingredi liceat. Nec moniales ſub eisdem pœnis illos aliter admittere poſſunt, ut in litteris ejuſdem Gregorii. in eod. Bull. cap. 36. Neque Episcopis aliisve, quibus ſui auctoritate officii eſt permiſſum, pro libito ſua voluntatis huiusmodi ſepta ingredi licet, ſed dumtaxat in caſibus neceſſariis, & à paucis, iſſque ſenioribus, ac religioſis perſonis comitati. & contra facientes Episcopi pro prima vice, qua contrafecerint, ingreſſu Eccleſiæ ingreſſi, pro ſecunda à

munere Pontificali, & à divinis ſuſpenſionis, ac deinceps ipſo facto abſque alia declaratione excommunicationis pœnam incurunt; regulares verò omni officio, ac miniſterio privati ſimiliter excommunicationis pœna innodantur. Gr. 1720. Bul. c. 75. Mulieres autem quæ in Congregatione vivunt pro cura earum mulierum, quæ fuerunt inhoneſtæ, vel à viris propriis deſertæ, non ſunt cogendæ ad profeſſionem emittendam, neque ad clauſuram ſervandam, ut in eiſdem deciſ. ſuper cap. 5. §. Gregorius XIII. audiat.

Concedere enim licentiam intra ſeptem Monasterii ingrediendi Episcopus, vel ſuperior debet in caſibus neceſſariis, neque alius ullo modo poſteſt, etiam vigore cuiuſcunque facultatis, vel indulti hætenus conceſſi, vel in poſterum concedendi, Concil. Trid. eod. cap. 5. §. dare autem; & etiam ubi viget conſuetudo non accedendi ad Monasteria regularibus ſubjecta ſine licentia Episcopi, & poſt Concilium introducta, ut Ordinarii concedant licentiam ingreſſus ad Monasteria Regularibus ſubjecta, privative ad ipſos Superiores Regulares, adverteadum eſt, an conſuetudo ſit legitime præſcripta, ſuper qua Iudex compoſens cognoſcere debet; ſed interim ordinarius eam quaſi poſſeſſionem, quam habere reperitur retinere poſteſt. Et dato, quod à Superioribus Regularibus huiusmodi licentia ingreſſus, & acceſſus concedi deberet privative ad Ordinarios, non poſſunt illas improbare, poſſunt tamè Ordinarii aliquam ipſarum licentiarum cognitionem, & ſuperintendentiam habere; prout Mediolani, ubi vigore Concilii provincialis primi debent hæ licentiæ apud Superiorem regiſtrari, ut fuit deciſum per